



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 5. An potest injungi satisfactio applicanda aliis, v. g. defunctis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

unde alios scandalô offensus, commotósque fuisse non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ Pœnitentiam publicè injungi oportet, ut quos exemplô suô ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimoniô ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc Pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire. Nec tunc (inquit S. Thom.) Confessor, sed Pœnitens ipse Satisfactionem implendo, manifestat suum peccatum jam aliàs notum, & inducitur tantum ad id, quod ex se facere debet ad scandalum tollendum. Sine tamen Episcopi consilio, & auctoritate imponi non debet Pœnitentia publica cum certa solemnitate peragenda, ut stando ad fores Ecclesiæ cum cereo accenso, &c. Sed quivis Confessor potest, & debet injungere Satisfactiones, quæ sine solemnitate peragantur coram iis, qui scandalum passi sunt, dum aliter tolli nequit, v. g. ut retractent sermones contra fidem, bonos mores, religionem, vel calumnias coram iis, qui audierunt, &c. Nam scandalum necessariô tolli debet.

Q. 5. An potest injungi satisfactio applicanda aliis, v. g. defunctis?

Resp. Aff. Quia tunc non applicatur aliis satisfactio secundum valorem, quam habet ex opere operato, sed secundum eum, quem habet ex opere operantis. Præterea actus ipse

ipse charitatis, quo quis applicat aliis satisfactionem sui operis, habet vim satisfactivam; hanc enim habet omne opus meritorium.

Q. 6. *An pœnitens tenetur acceptare & implere Pœnitentiam rationabilem injunctam?*

Resp Aff. Quia Sacerdos habet potestatem judiciale non solum solvendi, sed etiam ligandi, seu obligandi per impositionem Pœnitentiæ, ex Trid. c. 8. cit. Imò habet obligationem imponendi convenientem satisfactionem, ut ostendi: at talis potestas, & obligatio non potest esse in Sacerdote sine obligatione in Reo talem satisfactionem injunctam acceptandi, & exequendi: hæc enim sunt correlativa, & alioquin Sacerdotis potestas vindicativa esset inefficax. 2. Ex Conc. Later. c. *omnis ibi. Omnia sua peccata confiteatur fideliter, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere.* 3. Quilibet subditus tenetur obedire Judici, & Superiori justam sententiam ferenti. At Sacerdos, cui pœnitens per Confessionem se subjecit, imponit pœnitentiam ut Superior, & Judex; & tunc fungitur vice Christi, ejusque nomine, ac auctoritate ligat, sicut absolvit. 4. Ex Trident. sess. 14. can. 4. Satisfactio est pars Sacramenti, nempe integralis, & à Deo requiritur ad plenam, ac perfectam peccatorum remissionem. Pœnitens autem tenetur servare integritatem Sacramenti, præsertim cum ad illud concurrat. Quare hæc obli-

liga-